655

(Dresdae) a. d. XXVI Octobr.

3 X 64

Morgensternio S. P. D.
Boettiger.

Taedet pigetque me Tuae socor-
diae, mi φώσφορε ἑλικοβλέ-
φαρε. Fidem obstrinxeras sanctissime,
Te heri ad me venturum. Non stetisti
promissis. Exspectabam, ringebar.
Nam animus erat, condicere Tibi ho-
ram, invitare ad coenulam. Sed no-
lo expostulare Tecum iniuriam. Quic-
quid est hominum venustiorum Dresdae,
Te ferunt in oculis, habent in deliciis.
Quid multa? diriperis.

Unum est, quod Te volo. Promi-
seras, Te mecum iturum esse hodie
mane ad colloquium cum novo
antistite sacrorum a Reinhardo insti-
tuendum. Si vacat, adsis quaeso NB
priusquam hora nona auditur. Comes
Tibi haerebo, tegam latus. Hora undeci-
ma acta, transacta omnia.

NB terme de rigueur

Sic vale, faveque
Tuo
Boettigero.

Dic verbulum tabellario! Non
est, quod rescribas.

Herrn Hofrath
Professor
Morgenstern